5 5

A! Ω!

EXERCITATIO MEDICA PRACTICA

DE

FEBRE PETE-CHIALI

seu

PURPURATA;

QVAM

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,

MED. DOCT.

Publicæ Philiatrorum disquisitioni submittit

A. & R.

JOH. GODOFREDUS SCHUKIUS,

PLAVIA VARISCUS,

AD d. Januar. MDCLXXXV.

IN AUDITORIO MEDICORUM

Nunc cum brevissimis animadversionibus Præsidis recusa.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ. 1714.



Annotationes aliquot in præcedentem Diſſertationem.

CUm Diſſertatio hæc, ante hos XXI. annos Ienæ à me habita, petenti typographo denuo exſcribenda permitteretur, viſum eſt, partim in meam ipſius, partim in Lectoris ſolertis, rem futurum eſſe, ut pauca circa illam monerem, quò illa melius intelligi & applicari poſſit.

Quo tempore Diſſertationem hanc conſcripſi, novitius eram Medicinæ Doctor, antè annum circiter in hunc ordinem cooptatus. Non deerat æquè ſcientia rerum in Doctrina medica vulgo conſtitutarum; experientia propria in multis, quæ veram morborum hiſtoriam Clinicam, & qualis circà lectos patientium deprehenditur, reſpiciunt, omninò deerat. Interim Claſſicorum autorum fide fredus, ſatis mihi, (uti ferè vulgò fit, & mòs ille etiam diligenter conſervatur,) illorum autoritate tutus videbar; cui propterea etiam Diſſertationem hanc, quantum ad ſpeciem hanc febris, ſatis ſecurè atque confidenter ſuperſtruxi.

Sicut autem in illis, quæ magis ad ipſum *genus*, & inprimis quidem ad *Theoriam Febris in genere*, reſpiciebant, ab illâ ſimplici autoritate reliquæ Scholæ Medicæ, jam illo ipſo tempore non mediocriter alienor erat, animus; ita habui etiam

posthac occasionem certè locupletissimam, ipsas illas etiam *historiæ* harum febrium vulgatas descriptiones, simpliciore oculo intuendi; sub quâ contemplatione, aliqua, & nequaquam quidem levia, perspicere contigit, quæ ab illorum fide, & meâ super illam fundatâ credulitate, plurimum aliena essent.

Sicut autem quæ ad hunc posteriorem respectum pertineat, peculiari schediasmate, quod jam etiam ipsum sub prælo est, exactius delineare suscepi; ita placet interim brevissime monere.

1. *In genere*, quod ex hac dissertatione solertibus lectoribus ad minimum illud dilucescere possit, quod etiam jam illo ipso tempore sententiam eam foverim, quod Febres non tàm simpliciter morbidæ cujuscunque causæ directus effectus haberi mereantur, quàm potius ipsius Naturæ si consulturæ subsidium & auxilium; quo illa potius *contrà* noxias materias insurgat atque depugnet, quam ut ipsi tales motus ab istis materiis simpliciter superinducerentur, & ab illa *passivè* solum suscipiendi atque tolerandi, & magis patientia & expectatione qualiscunque eventus, quam aliqua *activa* resistentiâ, superandi essent.

2. Aliter inprimis me docuit Experientia, *in specie*, circà verum proprium hujus Febris genium; nempè, quod neque hæc; nec ulla alia *contagiosa* & *maligna* febris, è *propria* sua *directa* indole, symptomatibus *vehementibus*, aut qualicunque *turbulentia*, insigniter conspicua sit; sed potius iterum dico, *è propria suo indole*, & hæc, & aliæ hujus generis febres, *lenes* omnino sint, & quantum ad illa symptomata, quæ vulgo febribus tribuuntur, maxime *moderatæ*.

3. Deprendi, quod *efflorescentia* illa macularum, quantumlibet non sit stricto penitus sensu *Critica*; tamen etiam minime sit, juxta vulgatam traditionem, simpliciter *symptomatica*, id est, quæ ægro non solum absolutè nihil levaminis, sed etiam penitus plus discriminis, adferat. Unde plebi in peste

ſte die Todten-Flecke/ vel in ſola peſte ita ſummè malignæ eſſe deberent; vel minimè ſimpliciter, hiſtorica veritate, ita ſumme efficaces ſunt: vel expulſionis impetu ita funeſtæ redduntur.

4. Quandoquidem etiam in hac ipſa ſimpliciore petechiali febre, directa *expulſione* maculæ hæ non æque indigent; imo vero *fortiorem* hujus inſtigationem, omninò peſſimè ferunt.

5. Tantò magis, cum etiam maculæ hæ huic febri non abſolute *à priori* eſſentiales ſint, ſed ſolum *à poſteriori*: id eſt, huic febri non ſemper & abſolutè eveniant; licet quando eveniunt, utique non niſi huic (nempe his etiam reliquis ſymptomatibus ſpecificè ſic diſpoſitæ,) obtingant.

6. Planè diſpar in hac febre, quam in aliis *exanthematicis*, eſt energia tam *adſtrictionis* alvi, quam fluxus eiusdem. Adeo, ut *adſtrictio* alvi, quæ v. gr. in *variolis* atque *morbillis* minime conſiderari meretur, hic re vera *periculoſa* ſit. *Fluxus* alvi, qui in illis maximi periculi, in hac nullius ſit: imo hoc intuitu *adſtrictioni* equidem longe antè habendus: *Cohibitio* autem ejus, ut in illis quidem neceſſaria, ita in hac febre, ſi quantumcunque erroris per adſtringentia committatur, etiam funeſta ſit.

7. Hoc intuitu etiam medicamenta qualitercunque *adſtringentia*, ab hac febre longe ſecurius penitus exulant.

8. Sicut etiam *Venæ ſectiones*; niſi methodus illis ſubjungatur exquiſitiſſima conſtantia diapnoica: citra tamen remedia ſanguinem graviter exagitantia.

9. *Aphthæ*, uti huic febri magis quam ulli alteri familiares, niſi quidem potius propriæ, ſunt; ita & magis circà tempora demum *critica* cooriuntur; & mali ominis ſunt: & ubi ſemel invaluerunt, quod paucarum horarum ſpatio circumſcribitur, funeſti eventus ſunt.

10. Non ſolum ab aliis *adſtringentibus*, ſed omnino ab ipſa

ipſa etiam *terra ſigillata* in hac febre abſtinuiſſe, erit melius.

11. *Species de hyacintho* in priore exemplari nominatæ fuerunt, tanquam pro analeptico uſu; Sed cum plane peculiarem efficaciam exſerant extretiones ſudorificas in hibendi, vitandæ ſunt.

12. Eodem intuitu abſtinendum etiam eſt à *pulvere Pannonico*, ex ſua propria efficacia certiſſime magis inhibente ſudores, quam promovente: adhibito verò regimine ſudorifico, inter propriam efficaciam cohibendi, & inſtitutum illud contrarium expellendi ſudorem, plane heteroclitas commotiones minitante.

13. Succedunt interdum maculis illis, *puſtulæ* quædam *milii excorticati* facie, minores tamen aliquanto; hæ quando in receſſu ſunt, nihil juvat aut levat macularum excretio, ſed tunc demum, quando hæ exiverunt, paulò melius habere incipit patiens. Sequuntur inprimis *regimen* nimis calidum: cui ſi etiam conjuncta fuerint medicamenta *calidiora*, fit non raro, ut maculæ illæ, & hæ puſtulæ jugi impetu, ſimul, & ſtatim erumpant, funeſto communiter exitu.

14. Senſibiliſſimæ etiam ſunt hæ puſtulæ ad iterum evaneſcendum, cui rei & certiſſimè & citiſſimè *aphthæ* cum funeſto exitu ſuccedunt.

15. Nimis *calidum*, medicamentorum & regiminis, uſum, etiam *copioſiores* atque *ſaturatiores* maculæ ſequuntur: nullo bono eventu.

16. Quando *regimen* calidum admodum ſuſceptum eſt, non licet poſtea notabili refrigerationi indulgere, ſine certo & præſentiſſimo periculo.

17. Omnia in hâc febre tranquilliſſimè, tam ſpontè ſuccedere, quam arte geri debent, ſecus funeſtus eventus expectandus.

S. D. G.



Q. D. B. V.

Benevolo Lectori

S. P.



INter varia Febrium producta morbosa & symptomatica, duo præcipue & Medicos & Ægrotos dubios habent, *Exanthemata & Malignitas.* Medicos quidem dubia exercet quæstio: Quænam sit peculiaris illa Humorum qualitas, ob quam, licet crassi ac salsi, ac proinde, ordinario Naturæ cursu, per alvum & urinam potius ejiciendi, ad superficiem corporis propellantur, & ibidem modò *variolas*: modò Exanthemata illa, quas aliqui *Pupuram albam*, den Frieſſel, vocant: modò denique *Bubones & Anthraces* forment? De *morbillis* enim & *Petechiis* res paulò clarior videtur. Nec minor de *Malignitate* incertitudo, quam alius a similitudine effectuum per *virus* & venenositatem: alius ab effectibus ipsis, per substantiam toti naturæ contrariam: alius à modo essendi communi, per *tenue miasma*, & summe activum efflu-

vium à propria vero ſui eſſentiâ (& in quonam reſpectiva illa cum Natura & Machina Humana contrarietas mutua conſiſtat) nemo deſcribit. Neque deſcribere poteſt, cum ſenſum ſub hac eſſentia fugiat, & non niſi per effectum ſeſe prodat, non immediatum, ſed mediatum; vnde Veteres, priſcâ virtute & fide, ingenue confeſſi ſunt ejus *Qualitatem* ſibi *occultam* eſſe, Socratica Sapientiâ & hîc nihil ſcire Humanitatem, agnoſcentes.

Interim licet deciſio harum quæſtionum, ſolida & ſufficiens hactenus deſideretur; Quia tamen hæc accidentia Aegrotos valide torquent, & ſæpe de vitâ dubios reddunt: Donec reperiatur manifeſta qualitas, ſcrupuloſisſimi etiam conſentiunt, quod dubiis exiſtentibus â priori remediis illa, quæ à poſteriori per Experientiam & obſervationes, conſtanter & firmiter, proficua fuerunt, ſollicite adminiſtrentur.

Hâc ſane Methodo *Peſte & Febribus peſtilentibus* multa nobilia proſtant tum Privata Scripta, tum Facultatum & Collegiorum publica Reſponſa & Conſilia, quæ ex obſervationibus partim propriis, partim alienis fide dignis, *judicioſè* ſelectis & collatis, reſultant, easque pro fundamento ſupponunt.

Ex hoc eodem ſtructam vides L. B. hanc quoque de FEBRI PETECHIALI Diſſertationem, in qua ſi deciſionem memoratarum Quæſtionum quæris, invidiam nobis facis, majora de nobis ſperando, quam totum Medicinæ ævum hactenus ferre potuerit; ſi exigis, iniquus es. Si vero reliquam Theſium harum firmitatem ſcrutari libuerit, ex propria prudenti, aut collata plurium Expertorum prudentium Obſervatorum, Experientiâ, Practicus, aut ex Practicis, libere arbitrare.

Deus autem Ter-optimus Ter-maximus, qui ſolus & vulnerat & ſanat, poſteriori tamen huic operi, Medicos tanquam Medios adhibere non dedignatur, in hoc noſtro propoſito clementisſimè nobis adſiſtat, ut tum præſentem, gravisſimam ſane, ab ipſo immitti ſolitam plagam, tum conceſſam ejus congruam deligationem & delinitionem, præcipuè in Sancti Nominis ejus & Formidinem & Gloriam, decenter exprimamus.

PARS I. THEORETICA.

SECTIO I. HISTORIA MORBI.

Cap. I.

Morbi Eſſentia.

FEBRIS PETECHIALIS alias *Purpurata, Peticula, Puncticula.* Tralalitius ferè, frequenter tamen per ſe quoque exſurgens eſt morbus, & appellationem hanc ſpecificam accepit, *Purpuratæ, à maculis* purpureis, interdum nigricantibus & lividis, quæ quia communiter *morſus pulicum* veſtigia (excepto tamen horum Centrali puncto) referunt, ab Italis *Pedechie*, corrupte Petechie, & Peticulæ potius *pediculæ* latinè, appellatæ ſunt. Germani vocamus das Fleck-Fieber, Pedecken.

Non occurrit ſimilis nominis diverſus Eſſentia affectus; Maculoſæ quidem malignæ febres, in Praxi non raro obſervantur in puerperis, præcipuè ſcorbuto, & maculis ſcorbuticis purpureis alias chronice obnoxiis, à Lochiorum ſuppresſione, quæ tamen à præſenti noſtra tum protuberantia quâ hæ carent, tum gradu malignitatis, tum contagio, & ipsâ causâ, differunt; in iſtis enim Ecthymata illa potius ſunt tenuiſſima quædam portio ſtagnantis impetuosè Ichoroſi

Lochiorum Sangvinis. In noſtra vero, aliud longe quod infra patebit; Cæterum his Febres, *Purpuram Puerperarum*, appellare ſolemus.

Petechiali autem Febre correpti alii manifeſte febricitant *ab ipſo initio*, alii minus quidem vel calorem vel frigus ſentiunt, aut ulla notabilia in pulſu vel urina febrilis æſtus ſigna exhibent, tanto impetuoſius vero incrementa tale initium ſumit, & calorem ſanguinis intenſum, *pulſu, habitus corporis æſtu, & ſiti magna*, prodit.

Neque hic calor toto morbi decurſu ad naturalem usque teporem remittit, ſed ſolo gradu, *ſemper tamen præternaturali*, variat: Si vero illud contingat, citra ægri euphoriam quin, potius cum deterioratione graviſſima, in mentem veniet Hermocrates ille apud Hippocr. 3. Epidemiorum Sect. 1. ægr. 2. qui a die 20. ad 24. a febre immunis apparuit, 26. interivit.

Hâc ipsâ vero *continuitate* Caloris, tum corrumpentis tum depaſcentis, diu affligere morbus hic non poteſt, ſed breviori temporis ſpatio aut ſuperari debet, aut ſuperat: Prioris initium frequenter *quartò* natura facit; debilior, aut ſi paucior ſit materia, *ſeptimo:* ultra hunc ubi differtur eluctatio & excusſio, in ancipiti ſpes eſt, ſi reliquum debilitetur æger.

Summè enim ſangvinis ſubſtantiæ, (& eò ipſo Animæ actionibus, quas hoc Nobilisſimo organo præſtare debet,) nec raro hujus medio, ſolidis quoque partibus, quæ illo multo & tenui perluuntur, ſumme infeſta eſt *cauſa* hujus *morbi ſpecifica*, unde tam varias, atroces omnes, & vitam periclitantes, turbas, in corporis Oeconomiâ tum vitali tum animali concitat, ut ipſa ſæpe Ratio ad illas horreat, & in diverſa rapiatur. Nec talia ſaltem concitat, ſed & *plura & gradu graviori*, quam in aliis plurimis cœterum ſub eodem genere, *Malignitate*, comprehenſis morbis, vel tot vel tanta occurrunt, *Peſte* propri-

priisſimè ſic dicta excepta, ad quam hæc Febris proxime accedit, & in eandem frequenter concedit, ita quidem ut raro ulla peſtis invaleſtat, quin in diverſis ſubjectis hanc febrem vel *comitem vel vicariam*, una ſecum circumducat, *vel præceſſorem* habuerit.

Nec vero otioſum & ſterile, ſed ſumme fœcundum eſt hoc malum, & in longum latumque *diſſeminatur & propagatur*, unde vix decimus quisque impune ægris converſatur, aut veſtes, lectum, aliaque halitu, aut ſalivali ipſorum humiditate, inquinata, in uſum ſuum trahit, quin eundem morbum in ſe quoque propaget, præcipue ſi ſcorbuticâ floridiori, & acriori Cacochymia, aut recenti timore & horrore, ſeſe prædiſpoſitum malo ſeminio offerat.

Si verò actu obſidens morbus, vel Naturæ conſtantioris impetu, vel Medicamentorum directo aut indirecto occurſu enervetur & ejiciatur, *quarto, quinto, aut ſeptimo die, cauſa morbi continens* cum tranſpiratione inſenſibili, aut ſudore ſenſibili, ad cutem ejicitur, ubi *maculas roſeas, modo ſaturate purpureas ad nigredinem quaſi obſcuritate declinantes, modo lividas* format; easque jam paucas & magnas late diffuſas, jam multas minores. Totum quidem Corpus ſæpè ſparſim obſident, frequentius tamen ad minimum frequentiores, plures, & ſaturatiores, *in pectore, Cervice ac dorſo, & Lumbis* apparent. Tum vero, ſi circa *Diætam & res non naturales* bene ſe gerat æger, expulſæ maculæ pededentim ſequentium dierum ſpatio palleſcunt & evaneſcunt, *cum vel ſine pruritu, ſquameſcentia cuticulæ, aut puſtulis interdum efformatis, &* ita feliciter ſolvitur morbus. Quando autem vel *pauca* expelluntur, morbo tamen magno; vel expulſæ *cito retrocedunt*, aut *livido, nigricanteque* colore apparent, aut *ſymptomatice*, i. e. vacuis aliàs diebus, aut nimis cito, ipſo tertio v. g. extruduntur, ob intempeſtivas naturæ fatigationes, & gravis irritationis

ſu-

ſuſpicionem, communiter aut extreme anceps, aut funeſtus eventus ſubſeqvuntur.

Hæc omnia recte colliguntur ſummariter in talem ordinem: FEBRIS PETECHIALIS ſeu PURPURATA *eſt morbus intemperiei calidæ continuus, acutus, malignus & ſubinde peſtilens, ac contagioſus, efflorescentias cutaneas macularum rubrarum facie, pulicum morſus ſimilitudine, critice excludens.*

CAP. II.

Morbi accidentalia ſeu Symptomata communia.

S*Ymptomata* in hoc morbo, quæ cum aliis communia habet, ſunt vel *Febris abſolutæ, vel malignæ*, accidentia. Cum vero *Symptomata* nihil aliud ſint, quam *læſiones actionum*; actiones ſub triplici claſſe *vitalium Animalium*, & *Rationalium* comprehendi ſoleant; ad harum ordinem, pleraſq; quæ in noſtro affectu vitiari ſolent recenſebimus.

In *Vitali* itaque primus eſt *Pulſus frequens*, celer, & quantumcunque fortis. Licet enim *ſub initium* non raro plane naturalis appareat, illa tamen malefida eſt morbi latitatio, & increſcente atque ſtante eodem, facile mutatur, niſi ſumma ſit malignitas. *Intermittens* in graviori malo, & ancipiti, occurrit, aut ubi quis dolor gravior decumbentem urget.

Reſpiratio brevis & frequens: Interdum, præcipue ſi vel male excludantur, vel excluſa retrocedant Stigmata *difficilis, anheloſa.*

Appetitus proſtatus, & ſubinde non modo non petens, ſed faſtidiens alimenta. *Sitis* vero intenſa, modo cum intenſâ febre, modo citra eandem: Corporis habitus *emarceſcentia*, das Fleiſch fällt hinweg, der Krancke nimmt ab. *Alvus* frequentius adſtringitur, interdum in fluxum concitatur, labaſcente naturæ conſtantia. *Tranſpiratio* non raro valde

de imminuitur, ut alias quoque in sudorem pronis, nullus emanet. *Deglutitionis* quoque Instrumenta, & horum limina, *fauces*, ubi magnus est *æstus*, exsiccantur, inflammantur; accedit *oris siccitas*, *linguæ asperitas*, *crusta & vitiosus color*, *saliva glutinosa*.

Ex *Animalibus* actionibus *Motus vitalis* & voluntarius, primo læditur *lassitudine*; secundo *alienatione*, ut citra voluntatis concursum, & contra ordinem non raro fiat. Hoc quidem Interioribus corporis partibus unde *Vomitus*, *Colicæ*, *Diarrhææ*, *Singultus*, *Cardialgiæ*: illud in exterioribus, artubusque unde *motus convulsivi*, præcipue in minorentibus alias malo obnoxiis. Cæterum ipsa quoque *jectigatio & inquietudo* multum exercet ægros. Observata quoque à maculis in brachio denudato retrocedentibus, membri *Paralysis*. Sensus *Tactus* præcipue patitur innominato & universali quodam *dolore*, es thut ihnen alles wehe, aut particulari tensivo, vago: vel acuto & lancinante fixo, inprimis *Capitis*: *Visus* præsertim in graviori malo & imminentibus convulsionibus, colores oculis obversantes concipit; oculi ipsi *torvi*, *protuberantes*, *ferotes*, *deliria* antecedunt; *Sicci* vero & *nitidi seu splendentes* in magno *æstu* apparent. *Gustus* circa sapores non raro fallitur, ut insipida, amara, tetra, pronunciet, quæ talia non sunt.

Alterativa quoque sensoriorum & sensitivi Principii refectio, *Somnus*, vel nullus est, vel laboriosus, jactabundus, & somniis modo fatigantibus modo horridis plenus. *Vigiliis* vero continuis & inquietis plurimum inquietantur hi ægri, quæ æstu & jectigationibus continue foventur.

Imo ipsa *Rationalis facultas* plurimum in his affectibus patitur; modo *moralibus erroribus*, tristitia, sollicitudine, & omni morbo tristiori, *metu & formidine mortis*: modo *Physicis* interversionibus, *Deliriis* plus minus violentis,

SECTIO II. PATHOLOGICA
In Causas dictorum inquirens.

Historiam Morbi hactenus absolvimus; Proximum est, ut rationem successivarum illarum mutationum, quales vel in morbo, vel cum morbo evenire diximus quanta potest probabilitate, reddamus, i.e. in causalis dependentiæ ordinem singula disponamus. Bonâ tamen omnium Lectorum pace fieri posse auguramur, ut *morbi* præcipuè causis intenti, *symptomatum communium* rationes prolixiores tanto minùs moremur, quantò facilius illæ partim ad ipsius morbi causarum normam, partim ad obvias causalitates specialiores, referuntur, & *in omnium propemodum Febrium Historiis prolixè deductæ reperiuntur.*

In ipso itaque *morbo* nostro considerari meretur *Causa Efficiens*: *Subjectum*: utriusque *activitas*, seu *actio*, *& Receptivitas sive Reactio:* & inde resultans *Effectus*.

EFFICIENS est I. PROXIMA & IMMEDIATA, *substantia toti naturæ contraria*; incertum verò ob quamnam in specie qualitatem) *penetrans, & summè activa, omnes corporis actiones, & denique ipsam vitam, evertens, si Naturæ robur, vel quantitate, vel qualitatis suæ eminentiâ, subjugare possit. Materialiter* est subtilissimus, & ad conceptum sulphureo salinus, fermentescens, halitus, seu vapor, id enim astruit *contagium* ejus, quo ab uno corpore in alterum, nõ tam transfertur, quàm multiplicando propagatur; salino sulphurea verò consistentia probabilis fit â collatione omnium substantiarum, quæ in communi naturæ cursu tùm magnæ *activitatis*, tum facilis *fermentescentiæ* & multiplabilitatis sunt, utrumque verò hoc de se testatur hæc substantia, tum *motu*, tum *contagiosâ* sui propagatione.

MEDIATA PROXIMIOR est *Cacochymia Scorbutica Bilioso sangvinea*; Talis enim chronicâ sua infestatione modo nõ similes exhibet maculas, de quibus vid. *Schweizer. Tr. vitul.*

Au-

Aureus, ubi annotat talibus chronicè obnoxios, Peſtis tempore Anthracibus occupari: & *B. Ettmullerus in Prax. de affectibus Puerper.* ubi fœminas ſcorbuto aliàs inquinatas, Lochiis non rite ſuccedentibus aut ſuppresſis, præ reliquis in Febrem purpuram (à noſtra tamen differentem) dilabi obſervat. Sanè in tali materia facile fomitem contagium præſens reperit, aut biliosa acredo, quacunque cauſa occaſionali febriliter emoto ſangvine, per ſe in volatilem tenuitatem ex aliqua parte reſolvitur, & reliquum ſangvinem reſolvere occipit,

Remotiores cauſas ex rerum naturalium & Non-naturalium cenſu ſollicitè exequi non libet, cum has cum *omnibus febribus communes* habeat, ſuffecerit itaque paucis *eminentiores* tetigiſſe. E *Naturalibus* itaque *temperamentum ſanguineum ad biliosum declinans, ætas, præcipuè media, corpora aridiuſcula* præ aliis periclitantur. E NON-NATURALIBUS, morbis favet *Aer Auſtrinus, tempeſtas vappida, inconſtans, aër ſtagnans, ocioſus, parum eventilatus, aut paludoſus quoque, vel putridis halitibus cadaverum infeſtus*. Cibi *aromatibus calidis immodicè conditi*, potus *hordeaceus & vinoſus confusè ingeſti*, aut *vinoſus generoſus* tempore aut corpore æſtuante. Motus *nimius* corpus in æſtum diffundens, aut *quies* imprudenter huic ſuperinducta, præceps. *Vigiliæ* multæ & *cogitabundæ, ſomnus* inordinatus. Ex *animi Pathematis ira* præſertim ſtigmate notari debet, mala ſimilia in diſpoſitis ſocia opera concitare aptisſima, utpote quæ aliàs etiam *febrem eccriticam* brevisſimæ terminationis, ſanè conſideratu dignam, *Eryſipelas*, in momento inducat. Tum verò *terror & horridulus metus* contagio viam latam pandunt. *Excretiones ſangvinis* vel Naturalis in ſexu fœmineo, vel conſuetudinales in Maſculino, Cacochymicis individuis, *neglectæ*. *Sudoris* immodeſta concitatio, & repentina ſuppreſſio. *Tranſpiratio* inæqualiter ſufflaminata. *Alvinæ feces* diutius retentæ.

SUBJECTUM IMMEDIATUM affectus hujus *maligni* quà talis, agnoſcimus *ſpiritum vitalem* (illo nempe ſenſu, quo

D. D. Præses in Diss. sua de Sanguificatione eundem notavit, & disertè speciali Dissertatione deducit Excell. Rivinus) idq; propterea, quia primarius hujus morbi effectus, sunt actionum Principalium turbationes gravissimæ, vagæ, temporariæ, & hoc ipso non tam ab organi per quod, quam principii à quo, administrantur, labefactatione dependentes.

Mediatum verò Subjectum *sangvinem* censemus; Licet enim hic in ipso quoq; morbi initio, per omnem conceptum, Materialiter foveat seu secum vehat revehatque causam morbificam; quo ipso etiam *Subjectum Causæ* aliquibus audit, reverà tamen non illicò ab eadem afficitur, unde vel *virium extremæ defectiones* lipothymiæ, seu *vitale* Animæ officium eversum; vel *deliria, vomitus, anxietates*, seu *Animalis* & respectivè Rationalis functio, concutitur, *pulsu & urina* interim sanis. Imò verò non leve oriri potest dubium, an *intestina Sanguinis agitatio*, à qua tum *calor* tum *calor* tum *localis motus* augetur, ab illa causa morbosa ut *effectiva*, an merè ut *impulsiva*, dependeant, i.e. *annon ipsa Anima potiùs tantò intensiùs exagitet M. S. seu destinatò concitet Febrim, eo fine, ut sibi adversam substantiam susque deque rapiat, ne fixam & quietam Sedem alicubi figere, & malitiam suam in ipsam exserere possit*, donec tandem crassiùs compacta, aut tantillo sangvinis affixa, ad egestionem & exterminium prorsus habilitata sit: Sanè *critici* illi impetus & *indicatorii* animæ conatus; tantum huic rei autoritatis affundunt, ut ubilibet fere utantur illis formulis: *Naturam irritari* ad expulsionem; intempestivè moliri eandem v. g. in *expulsionibus symptomaticis &c.* Tanto probabilius hoc videtur, quod impetus tales *statis* semper *diebus* fieri soleant, quod vix contingere posset, si à *sangvinis corruptione* Periodus hæc deduci deberet, quam diversa causæ morbficæ activitas, diversam tempore, i.e. alia citiùs alterâ, inducere deberet, unde tam stata Periodus servari non posset; idem de Subjugatione & inversione *causæ morbificæ* videtur, quum hæ activitate & incoërcibilitate diversæ sint, unde vix in omni-

omnibus eadem *temporis* ratio haberi possit. Cum tamen in talibus ultra suspicionem vix ulla firmitas sperari queat, dubium hoc pro indubio obtrudere nefas arbitramur.

Damnetur itaque *sangvis* ad *secundas* pœnas, quæ sanè graves sunt, cum ejecto etiam hoste seu agente causa jamjam toto corpore exulante, hæ adhuc durent, i.e. *Febris, exclusis jam & evanidis Petecchiis, adhuc tamen tantillum duret*. Cæterum ipse habitus corporis exterior, *cutis*, à causa hac morbifica quoque polluitur, quando *macularum* formâ extrusam recipit: rarius tamen, nisi magna ejus sit malignitas, notabilem noxam, v. g. *erosionem, abscessionem, gangrænodem mortificationem*, ab ipsa patitur, sed per poros tantum sui, pedetentim erumpere sinit.

Modum agendi tantundem, quantum ipsam veram *Essentiam agentis* ignoramus. Unde licet videamus *horrorem Animæ* ad hujus substantiæ consortium, quo tamen *speciali* modo illa afficiatur, turbetur, confundatur, incomprehensibile est. Sicut enim in Mercurio sublimato deleteria illa, cum gravissimis symptomatis, activitas, nequaquam sufficienter à corrosivitate deducitur, cum Aqua fortis licet longè magis corrosiva, quàm saturata hæc substantia Vitriolica, similes ferales effectus non edat: Nec ipsa *corrosio*, tanquam solutio continuitatis ventriculi, hos effectus, quà talis, edere possit, quin ad peculiarem & occultam hujus contrarietatem confugiendum sit: Ita licet ab effectibus, *colliquativa, fermentativa, putredinosa, gangrænodes*, appelletur hæc materia, his omnibus tamen qualitatibus turbas illas, quas à *malignitate* derivamus, non edere exinde certum est, quia ut dictum, potiores tunc maximè accidunt, ubi nondum in sangvinem agit, aut agere denuò, pessimo indicio, desinit, in medio fervore, *diebus insidis, & cum mutatione sensibili in pejus*.

Modus vel *reagendi* ille videtur quod *spiritus vitalis* quocunque nisu elidat aut intricet materiam morbificam in M S. quam illa activitate suâ semel in actum deductâ, agitet & inte-

ſtinè fervefaciat, non aliter quàm ſummè mobilis materia v.g *oleoſa* corpora aliis liquidis interſperſa, eadem in inteſtinum motum, quem *fermentationem* vulgo vocamus, corripiunt. Cum verò liberius agat anima, hoſtili materia alicubi irretitâ, hujus ſanè energiæ tribuenda *Critica* ad ſuperficiem corporis eliſio, quâ ex *ſangvine* quoque ſubſtantiam hanc ſeu cauſam morboſam extrudit. Interim & hic occurrit notabilis illa, difficultas, quâ obſcurum redditur, ſi motus inteſtinus & depravatio ſeu intenſio hujus in ſangvine dependeat & excitatus ſit à cauſa continente morbi, quodnam ſit illud medium, quo Spiritus Vitalis cauſam, hanc ex Maſſa Sangvinea, in quam ille nunc dominatur, ipſa verò parum Juris habet, ejiciat & extrudat. Cum è contra ſtatim concipi negotium, poſſit, ſi ſupponatur animam ipſam, pro extruſione & ſubjugatione exitioſæ, non tam ſangvini quam ſibi, ſubſtantiæ, ſangvinem tantò magis impellere, & hoc modo denique expellere.

EFFECTUM cauſæ morboſæ quod concernit, eſt hic, ut ſupra inſinuatum, *ſumma Spiritus Vitalis perturbatio & confuſio*, quâ ille modò in energia *Vitali* deficit, unde *Lypothymiæ & Syncope*: Modo in *motus* perficiendi ſancto & ſecreto alioquin, conſtantisſimo ordine errat, unde *motus convulſivi, Cardialgiæ, Vomitus enormes*; modò impar eſt operi, unde *Lasſitudo* & membrorum quaſi *imbecillitas*: modo denique circa ipſam *Rationem* violatur, quod *anxietates, Deliria, furores*, triſti teſtimonio confirmant.

MEDIUS, niſi mavis *mediatus*, eſt Maſſæ Sangvineæ agitatio & *fervor*, quatenus vel aliquam *colliquefactivam* attenuationem & reſolutionem eidem infert, miſcelam ejus gelatinoſam, mucoſo-oleoſam deſtruendo, tum propriâ ſui, tum inducta, ſalinæ ſeri parti, *acredine* penetranti, & ita *Phyſico* influxu; vel magis *morali*, animam ad extremum hoc remedium, nempe Inſtrumenti ſui, M.S. abuſum, neceſſitando.

Po-

Postremus vero *causæ hujus morbificæ effectus est macu-arum* illarum *punicearum* acies, quas quidem non tam *cor-uptionem* ab illa emanantem, quàm *ipsam ejus substantiam*, um tantillo tamen sangvinis valde tenuis sociatam, arbitra-nur esse. Quod ut credamus, *duo* in specie nos persuadent. *Prius* quod *maculæ* hæ *retrocedentes*, morbum renovent, nfallibili propemodum theseos nostræ fundamento. *Alte-um*, quod hoc præcipuè tempore, ubi exclusæ *maculæ* benè uccessivè disparent, frequentiùs inficiantur eodem conta-io sani hactenus conversantes, ob exhalens videlicet sub-tantialiter pessimum illud virus & in plura corpora confer-m & liberè sese insinuans.

Symptomatum communium rationem reddere non modò ronxum, sed omninò de absoluta necessitate in hac Disserta-one nequaquam est, ut cum eadem potius potiora accidant *ebri, ut, sic*, nam *Essentialiter inhærentia & propria* adeò, b *effectibus* modò recensuimus.

Paucis itaque *summa Capita* sub quibus singula hæc cau-liter continentur, tangemus. Sunt autem hæc 1. *Sangvinis* temperies, vitium in motu intestino, *æstus*: 2. Eiusdem mo-is localis citatior, seu *vitium in motu locali*: 3. Commeatus ontinuus ex arteriis in Venas vitiatus, *stasis* seu vitium in Si-: 4. Expiratio & *Difflatio Parenchymaticæ* substantiæ, quæ usculorum fibrosam texturam interluit.

A *primo* dependent totius *exæstuatio, Sitis, Oris siccitas*: secundò *pulsus frequens, celer, respiratio* proportionata revis & frequens: A *tertio*, *Oppletiones Capitis, inflammatio-es meningum*, aut *ventriculi* etiam aliorumque *Intestinorum* quæ eædem in *Ardentibus* etiam simplicibus, tum *Pleuritide*, *ebribus Vulnerariis*, præcipuè quæ *vulneribus Capitis* su-erveniunt, accidere non rarò solent) unde *Dolores Capitis*, *htenitis, Vomitus, Diarrhææ, Hæmorrhagiæ, Colicæ, Singul-us*, A *quarto*, subsidentia & *emarcescentia*, &c.

PARS

PARS II. PRACTICA.

UT Imperator antequam in hostem copias educat, de *vi.stdtione motu*, præcipue vero de *Consiliis* adversæ aciei certus esse nititur; ita Medicus, antequam in subsidium periclitantis Naturæ Medicamentorum turmas Morbis opponat, non modo *speciem* morbi, *magnitudinem*, *tempus seu ætatem*, *motum*, & hujus *modum*, sed & mo*rem* sollicitè circumspicit, Auxilia sua his omnibus ordinat objicit, ne quicquam præpostere, quicquam inutiliter, agatur.

METHODUS MEDENDI destinata est hisce Consultationibus, quæ tum ex *Generalibus* tum *Specialibus Morbi* & *Subjecti* cujusque circumstantiis, tanquam *Indicantibus* quid agendum, seu *Indicationes*, agnoscit. Cum verò *duplex* sit morbi consideratio vel ut *imminentis* aut modò obrepentis qui *præservatoriam* Indicationem format: vel ut jamdum altius *innidulati*, & *in actum deducti*, partes corporis & actiones actu corrumpentis, qui Medelam & *Curationem* urget. Hoc quoque ordine præsentis Affectus *Indicationes* exequemur *quid* nempe & *quomodo* agendum: *Media specialia* denique & quæ ex illorum operatione spes affulgeat, sub calcem offerendo.

SECTIO I.

ART. I.

De Indicationibus Generalibus, Conservatoria, Præservatoria, Curatoriâ Generali, Symptomaticâ.

COnservatoria quam *Vitalem* appellant Indicatio, *vires* tanquam *rem naturalem* quantum possibile, *conservare* & *roborare* jubet; Cum enim actio Medicamentorum vix proficua sit, nisi aut à *Spiritu Vitali* in actum deducantur, aut ad minimum nisu illius socio subleventur, a

hu

hujus energiam qualemcunque conservandam summa cura dirigenda. In tota profecto Praxi, qui *Vires* negligit, vel perdet ægrum, vel non nisi periclitatum, valde debilem, diutissime languentem, & in quamcunque aut recidivam aut novam occupationem pronum, servabit. Tanto magis, quod in hoc præcipue morbo, totus impetus in ipsum *Spiritum Vitalem*, tanquam Subjectum, dirigatur, qui, si hunc *robustum*, aut subsidiis sufficientibus *refectum* offendat, tanto minus noxæ eidem inferre poterit. Absolvitur autem hæc Intentio *Corroboratione* primario, secundario *Rerum Non naturalium* justo moderamine, & symptomatum defatigantium oppressione, de quibus ex instituto in sequentibus.

Præservatoria Indicatio *Morbificæ causæ* vel *contactum* vel *actum*, elidit. Illud in malo *imminente*, hoc in *invadente*. *Prius* optime perficitur *absentia*, aut ad minimum rerum *corpori & animo non-naturalium* cauto regimine, & hoc quidem *Physice*; *Medice* vero *alexipharmacis*: *Posterius* & his & simul *sudoriferis*, ita quidem, ut illis obtundatur activitas causæ, his ipsa edomita ex toto corpore proscribatur. Ita tum *Petechias*, tum similes *malignas febres*, ipsamque *Pestem*, medicamento *cordiali alexiterio & Diaphoretico* sub una eademque formula, *in Primo plane conatu* feliciter debellatas, publicæ privatæque Practicorum sententiæ comprobant, & quotidiana in Contagiosis experientia hoc confirmat, modo Medicus talia moliturus, *in ipso initio*, matureque consulatur.

Curatoria Generalis partim τὸ *Agendum Generale*, partim *modum agendi Generalem* declarat. *Curationem* scilicet, i. e. *Morbi ablationem* peragi debere suadet; fit autem hoc vel à *priori*, *Causæ* sublatione, ne ulterius nocere queat: vel à *posteriori*, correctione *effectus* quem illa edidit: *Prius* vocant *Præservatoriam Curationem*, tanquam à priori ordientem, sed non nisi lato sensu; & sane hæc Curatio in omnibus *Morbis cum Materia*, *seu causa continente*, occurrit. *Modus* vero *a-*

 gen-

gendi Generalis, præmittitur *mediis specialibus*, & illorum energiæ viam sternit, ac absolvitur hoc loco remediis ita dictis *Universalibus*, quæ licet morbo *directe* nihil emolumenti conferant, indirecte tamen id præstant, quatenus remediis seu Indicatis *specialibus* omnia planiora & faciliora tradunt. Sicubi vero hæc eadem plana jam tum deprehendantur, hæc quoque Indicatio per rationem fatiscet.

SANGUINIS MISSIO itaque tanquam prima ex *universalibus* illis præsidiis indicatur à *Plethorico* habitu; cum enim Sanguis vasis infarctus non modo *agitationem* sufficientem *intestinam* opprimat, sed & violentis agitantibus *turgefactus* patentiora quævis irruat, unde v. g. ab exhibitis in decursu morbi *Diaphoreticis*, *rarefacientibus*, *expulsivis*, ebulliens, modo pulmones ac *præcordia opplet*, modo membranulas patentiores rumpit, & *hæmorrhagias* intempestivas, hinc inde, pro diversitate Sexus, concitat: modo *eruptionem maculárum* moratur, quatenus vel interiorem Cutis parietem ejusque *porulos comprimit*; vel *nimis spissus* tenuiorem quoque illam portionem, cum qua Causa continens egeri debebat, implicat: vel denique quantitate nimius, motus intestini Circulum ultra consuetum tempus diducit, cum nempe *magna Humoris copia*, *eodem tempore quanto parva*, *per omnes sui partes*, *nequaquam subigi possit*. Præsertim vero Medicamentis, quæ in hoc & similibus affectibus vel ex se, vel ex collisione cum causa morbifica, *turgescentiam* inferunt, talis, modeste tamen, evacuatio, ut dictum optime subvenit, modo sub ipsum *Primum morbi Principium*, & in supra dictam Indicationem, in usum vocetur.

Primarum viarum Repurgatio, per *superiora* vel *inferiora*, vel *utrumque*, duplex quoque commodum habet. *Sordes* in Intestinis collectas, & adstrictionem alvi (quæ talibus febribus, fidelius agentibus, propemodum comes est) infido tempore turbare aptissimas, eliminat. Si enim *Cruditates* in Intestinis stabulentur, alvus autem uno alterove die ab ipso morbo sistatur, facile cruda hæc substantia intus detenta acescit, aut in pu-

in putrilaginem ruit, intestinaque alterutro irritat, ut pro illis ejiciendis connitantur, cui scopo humores Corporis serosi succurrunt, & facillime causa Morbosa in Humores, ut supra dictum jam nunc immersa, ad has denuo intimiores corporis partes derivatur, nervosam in ipsis disseminatam Substantiam, & ipsam membranaceam illis propriam, inficit & corrumpit, unde *singultus seu convulsiones Intestinæ in Universales* proxime transituræ, subsequuntur. Deinde medicamenta quoque *fixiora* Bezoartica & sedativa tanto citius & certius destinationem sui attingunt, si è primis viis acidæ viscidæque superfluitates, quæ remedia hæc invertere aut intervertere potuissent, subactæ sint. Sed & hic *tempus tempestivum* quam maxime expendendum, & ἀνωτερικῶν exhibitionem ad vires patientis, aliaque permittentia, conferendam esse, secundum modo dictas circumstantias, sedulo monemus.

Perspirabilitas vero Cutis, tum & *Motus humorum* ad eandem, ab *Expellentibus interne* impellendus, *externe* mirum quantum adjuvatur tum *fotu* calidorum lectorum in genere, tum in specie *Frictionibus*, vel prorsus *sensilibus & rubefactoriis*; cum vero talia in ipso jamjam decursu & statu morbi, à Speciali etiam Indicante, exigantur, ad sequentem articulum eadem reservamus.

Symptomatum inordinatus impetus, omnes Spiritus Vitalis bonas destinationes turbans, *Sedativis* sopiendus vel generalioribus, vel cuilibet in specie aptioribus.

ARTIC. II.
De Indicationibus Specialibus, Alterativa, Expulsiva.

DUo potissimum in morbo hoc notabiliora supra insinuavimus, *Morem & Motum*, quorum prior *Malignitatem*, hic *Efflorescentiam* cutaneam offerunt.

Malignitatis autem gravissimæ indicatio urget oppositio-

tionem *Bezoardicorum*, idque ex parte *causæ*: ex parte *Subjecti*, *cordialia & Roborantia* quæcunque exploratiora. Si enim non modo *causæ* energia supplantetur, sed & *Subjectum* patiens firmetur & veluti obduretur, Actio tota si non plane sufflaminetur, multum tamen enervabitur, & hæc Indicatio tanquam Princeps cum omnibus reliquis semper junctim attendatur.

Peragenda vero hæc Indicatio cum adjunctione *lenium Diaphoreticorum* seu sanguinem eventilantium, *Alexipharmacis* jungendorum, quæ enervatæ plus minus materiæ morbificæ viam in sanguinem non modo pandant, sed & Sanguinem ipsum in alacritatem concitent, ne in *coagula*, *grumos*, *viscedines*, *acores*, cogi aut converti queat; Ubi simul *perspirabilitas* corporis totius, pro subsecuturo motu *Peripherico*, in continua bona dispositione conservetur. Interim ad *æstus* comitantis *gradum* bene attendendum, qui si ipse *major blanda* tantum sudorifera seligenda sunt: Si *levior*, paulo quoque penetrantiora tolerantur, utrinque tamen refracta tantum dosi sub initium, exhibenda.

Motum quod concernit, est hic vel *generalior*, *Criticus*: vel *Specialior*, *Exanthematicus*, seu ad Peripheriam: Ille tempus & opportunitatem agendi, hic *modum*, indicant. Quoad *prius*, expendendum an gravia *symptomata*, & præcipue *virium lapsus & anxietates graviores magnitudinem* morbi; an vero hæc utraque *leviora* ejusdem *remissiorem* gradum testentur: Ad communia quoque symptomata *æstum*, præcipue *fluxiones symptomaticas* advertendus animus, ne illæ vel *irritent immaturos*, vel prævertant & enervent *maturos criticos* conatus. His omnibus bene examinatis, pro diversitate imminentis *Criseos*, diversa quoque velocitate ab *Alterantibus* ad *expellentia* promovendum, & *symptomatum Exacerbationes* tunc obvenientes, ex hac Prænotione Paulo securius spectandæ. Quoad *posterius* autem, *tria* in mentem revocanda, (1) *Motus* ab interioribus *ad Peripheriam*, (2) Motus hujus *instrumentum*, (3) ejusdem *terminus*. *Primus*

indi

indicat *Lenia Diaphoretica*, & *Expellentia*: *Secundum* indicat legitimam sui & *quantitatem*, ne impedimenta supra allata inferat, & *qualitatem*, cui *Rarefacientia*, *Ventilantia*, *Incidentia* succurrunt, ne hostilis materia turmæ in transmissione corruptelam aliquam inferre possint. *Tertius*, indicat *Attrahentia*, *Frictiones*, *Vesicatoria*, *Concurbitulas*, quæ omnia motum humorum ad exteriora juvant & quasi provocant.

ARTIC. III.
Indicatio Symptomatis urgentis speciatim.

POtiora *Symptomata specialia* sunt (1) *Evacuationes Symptomaticæ*. (2) *Æstus*, (3) *Sitis* (4) *Dolores* (5) *Inquietudines*, *Vigiliæ*, *Deliria*. (6) *convulsiones*. Vires enim prostratas & Lipothymias ad malignitatem potius una referendas censemus.

Evacuationes in primo morbi *principio*, nisi *immodicæ* sint, & cum nimiis conatibus conjunctæ, atque ita utrinque vires periclitentur, modeste reprimendæ: Quæ in *Progressu aut Statu* contingunt, ne conatus Naturæ *Criticos* laudabiles vel interrumpant vel prorsus alio avertant, quocunque possibili modo opprimendæ: utrinque ad *causam* bene attendendo. In initio evenientium causa est, modo *miasma morbosum oretenus*, vel cum saliva l. cum cibo, haustum: quod itaque *Spiritus vitalis* ex ipso atrio extrudere his evacuationibus conatur; modo merus ejusdem *Spiritus vitalis erroneus motus*, ubi jam tum altius inhæret, & illum ipsum oppugnat malum. *Prius* colligimus ex *vomitu vel Diarrhœa viribus adhuc parum motis* superveniente, *Posterius* ex Contrario. In *progressu* Evacuationes tales modo fiunt à *fæcum* ipsarum justo diutius suppressarum corruptione; modo à materiæ morbosæ *retrocessione*, aut neglecta intra M. S. ejusdem mora. *Prius* cognoscitur, si ex statu reliquo nihil mutatum appareat, præcipue ex bene succedente; item si *tormina & Coli-*

cæ, *singultus*, non urgeant: *Posterius* si hæc contingant, aut *maculæ* cito evanuerint. *Indicationes* pro *causarum* harum duplici differentia sunt vel principaliter *statoriæ*, cum secundaria intentione ad *malignitatem*, in utrinque prioribus: vel *primario Alexipharmacæ*, in utrinque posterioribus.

2.3. *Æstus nimius* & Comes una *Sitis*, *refrigerantibus & acidulis* temperantur. Si vero cum *multo æstu* nulla cohæreat *sitis*, malo omine, illius tamen justæ provocatio, potu spontaneo occupanda. *Æstus* præcipue contra indicat *sudoriferis & Alexipharmacis nimis calefacientibus*, &, ut vocant, *fumosis*, sanguinemque, rapide motum nimis *turgefacientibus*.

4.5. *Dolores*, *Inquietudines*, & ipsa *Deliria*, optime distinguenda, an *à Causa Physica* perveniant, an à *morali*. Si illud, partim ut in *prioribus* causa erit *æstus*, & sanguinis *stases*; partim, ut in *Posteriori*, tum hæc, tum *malignitas* ipsa. Utrinque sublata *Causa* aut temperata, hæc quoque remittent. Omnia hæc à *morali* causa, *Impatientia*, *timore mortis* aborta, vix felicem esse sinunt medicum, nisi timor mortis Patienti simul Superstitiosum obsequium injunxerit.

6. *Convulsiones* autem in principio, *malignitatis* fœtus sunt, præcipue in non assuetis; in progressu partim hujus, partim vero, ut in mala declin tione Naturæ, *Spiritus vitalis* ultima audentis. In priori partim ad *causam*, *Alexipharmacis* respiciendum, partim ad *Subjecta*; *Sedativis*, *demulcentibus antispasmodicis* temperatis.

SECT. II. ARTIC. I.

Remedia seu Indicata Sigillatim proponens,

I. Generaliora.

PRæservantia quæ *causæ contactum* præoccupant, præter *absentiam localem*, sunt *suffumigia* sulphurea, præsertim *acida*, *aerem* infectum corrigentia, it. compositi ex similibus pulveres *venales*, quorum illi qui *Pauperioribus* destinantur, meliores sunt istis, quos pro *ditioribus* ordinant.

Quæ

Quæ *actum* ipsum suffocant sunt *Bezoardica* tum *acidula volatilia*, ut *Mistura simplex*, tum quæ optima intentione cum alexipharmacis balsamicis simul conjungantur, ut *theriaca cum aceto exhibita*, quæ præcipue valet, ubi *vomitus* primi generis enituntur. In præservando autem & plurimis curandi scopis, Polychresta est TR. Bezoard. Exc. mi D. D. Wedelii, amœnit. M. M. p. 328. proposita. In *frigidioribus* quoque *Cervinorum aut viperinorum*, v. g. *spiritus C.C. viperar.* pro circumstantiis adjungi possunt *myrrhatis*, *Camphoratis*.

Externa erunt tum *noduli acetis bezoardicis* imbuti, tum *Præservativum illud Universale Dobrzenski*, videlicet Salivæ halitibus forte inficiendæ, ubi prope versamur ægros, rejectio.

In *Vitali* vero, *Cordialia, acetosa* præcipue, ut *caro citri*, *vinum Medice sumtum*, *Rubi Idæi*, *Berberum præparata*, locum habent: Tum *amuleta Gemmea* moralem ad minimum usum subinde præstitura.

Universaliora seu *generaliora* Indicata, V.S. *Laxatio aut Vomitus*, *vel utraque*, in tempore, & in Subjectis congruis, quo nominatim *medio* peragantur, parum refert, modo posteriora hæc *modeste* operentur, & actu ipsorum peracto, leni *Diapnoico* affluxus humorum ad interiora, reprimatur.

ARTIC. II.
Indicata specialiora Malignitatis, Exanthematum.

BEzoartica optime seliguntur pro *febris* majori vel minori *intensione* conjuncta, quæ si *æstuet*, aut ante *æstus* vel *sitim* sensibilem, sub initium cum prostratione virium siccitas oris & labiorum oriatur, ACIDULA *Diapnoicis* juncta usum habent; Sunt è *vegetabilibus Pulpa citri*, *Rubi idæi fructus*, *& Aceta Bezoartica*, tum & præparata illorum officinalia, modo *Sacchari* moles nihil turbarum conciteт. Ex chymicis *spiritus* vitrioli, aut sulphuris, cum *alexipharmicis*, *Balsamicis*

jun-

junctim, unde *Mixtura Simplex*, in hoc morbo, præcipue in *Viris* & *æstu* majore, optima.

Si vero *remissior* sit æstus, locum habent radices *angelicæ Carlinæ*, *Contrayervæ*, *Scorzoneræ*, *Zedoariæ*. *Herba C. B. Scordii Scabiosæ*; *Ulmariæ*, *Calendulæ*, *flores*: *Myrrha*, *Camphora*, parce. Et paratæ ex his *essentiæ*, *Antidoti*, ut *Theriac. El. Diascord. Frac. &c.* una Diaphoreticum scopum executuræ; tum vero *Cardialibus* vel simplicibus vel compositis, v. g. *Perlis præparatis*, *Aqua Cinamom. borraginat. Syr. de Canell. Aqua cord. H. S. Alkerm. &c. &c.* interpositis.

In *Expellentibus*, considerato prius *tempore* agendi, quod in *magno morbo* 4. vel 5. dies, expulsionis ad minimum *initiis* destinatus, determinare solet, præter *Signa coctionis*, ex *Urina* speranda, scopo *expulsorio* directe inserviunt omnia *Diaphoretica*; Hæc quidem in statu morbi, id est, ab initio usque ad expulsionem, nequaquam negligenda, *leniora* tamen sunto, è quibus optima, *fixa terrea*, *C.C. c. vel f. ign. unicornu* tum *marinum* tum *fossile*, *terra lemnia*, *Bezoar*, *Antim. Diaph.* & *Bezoard. Miner. bene præparata*, *oculi Cancror. Corallia &c.* Tempore vero expulsionis non nihil *acriora*, *scabiosa*, *Scordium*, præsertim *Semina C. B. citri*, *Rutæ*, *æquileg.* in Emulsiones cum *aquis cordialibus & Syrup. Bezoardicis* redacta. Ex *chymicis spir. C. C. essentific. Liquor. C. C. succin. Antim. diaphor. & Bezoard. minerale*, *majori dosi* data. *Indirecte*, & sanguinem disponendo, concurrunt eadem modo dicta *Volatilia urinosa*, *coagulationem & Visciditatem ac fermentatoriam* ejus *acescentiam* præcaventia & corrigentia.

Externa attrahentia partim *Vesicatoria* partim *Cucurbitulæ*, partim *Frictiones* esse possunt, pro *virium* robore, & eruptionis *spontaneæ* majori vel minori *pertinacia*; Memorabilis est Indorum quorundam à *Taverniero* descripta hac in re administratio. Erumpentibus maculis, ægrum, in lectum velamentis undique obseptum, quasi incarcerant, & singulas maculas bacillo

cillo aromatico ignito attingunt & adurunt, quo tum *fluxus* major ad cutim, tum materiæ expulsæ aliqua *immutatio*, in specie *retrocessionis* metus, simul procurantur & caventur.

Frigus externum, & potus frigidi internè, antè omnia tum sub eruptione, tum post eandem sollicitè caveantur. *Inunctiones* verò aut *Frictiones* cum *unguinosis* minus securas esse arbitramur.

Artic. III.

Symptomata Urgentia.

INter *Symptomata* graviora, *Vomitus* ob *causam* in primas vias initio admissam, *acetosis Bezoarticis, Nitrosis*, & fixis terreis: *Diarrhœæ* tum his, tum simul *Bezoarticis sub adstringentibus, Pimpinellæ umbelliferæ, Bistortæ radicibus*, leniantur. In progressu *Diaphoreticis Bezoardicis* fixis, cum Nitro & absorbentibus ad rosiones Intestinorum, junctis, *anodynoque* blandissimo accedente corrigantur. Optima quoque huic scopo sunt *Diaphor. fixa terrea absorbentia, terra sigillata alba, Corallia, animonium diaphor.* probè edulcoratum. Præcipuè *Externè fotibus calidis* ventriculi, *Crustâ panis, N.M. perfricta. Empl. Crustâ de panis cum linteis aut pulvinari calidis*, desuper applicitis: *Lapis Serpentinus*, aut *tegulæ ollarum*, calefactæ, abdomini imposita, *oleum N. M.* Scrobiculo cordis & umbilico inunctum. *Hæmorrhagiæ, Criticæ*, ex nimiâ sanguinis, in corpore floridiori aliàs, agitatione, & *Symptomaticæ* ex eadem causâ, & *neglectâ unà in principio V. S.* oboriri solitæ, aliquando urgent. In *priori*, ad *tempus Criseos* partim, partim *expulsionis* respiciendum. Si *Plethorâ* præsente, neglecta sit V. S. & subsequatur *Hæmorrhagia*, minus est periculi, & communiter bono conatu naturæ concitatur; secus si contrà. Si ex quâcunque harum circumstantiarum, colligatur quod sisti debeat fluxus, in *priori* casu potissimum, si fieri possit, *externis* agatur *sub adstringentibus*, aut *Sanguinis exstillantis emissione super lapides calidos*: *Hæmatidis* applicatione, *Smaragdi* appensione; in *Posteriori* tum his, tum *Nitratorum cum Bezoardicis* conjunctione, quibus nimia Sanguinis *turgescentia* aliquantisper componatur.

Æstus & Sitis, tum *acidulis mineralibus spiritibus*, præsertim *Clyss. antimon. Sulphurato*, *Spirit. Salis vel nitri dulcibus*; tum sub *tempus eruptionis*, *emulsivis actu frigidulis*: utrinque, *conditis* v. g. *Rubi Idai*, *Berberum*, parcius *Cerasorum fructibus*, *aciditate citri imprimis*, atteruntur.

Dolores autem *vigiliæ & Inquietudines*, partim *æstui* cessanti, partim verò *Anodynis* non tamen æque *Opiatis*, nisi refractâ dosi permixtis, manus dabunt. Vigiliæ tamen non vi opprimendæ sunt.

Capitis autem graves dolores & *Convulsionum metus* optimè mitigantur *Cinnabarinis*, *unicornui vero*, *Cancri oculis*, *Cran. hum. præparato*, sociatis. Sin autem vel à *retrocedentibus maculis*, vel à pertinacissima morbi eminentia, succumbenti naturæ superveniant, *expulsio* repetita tum internis, tum *externis præprimis*, & tum quidem quàm maximè *Vesicatoriis*, tentando, *cordialibusque*, quæcunque selectissima creduntur, succurrendum est, licet plerumque meliori conatu quam effectu id fiat.

DIÆTA qualis ordinariè in *Exanthematicis*, eadem hic quoque locum habet, illud animadvertendo, ut sollicitè singulis inhæreat æger, tantò magis quanto hæc febris reliquis *atrocior* est. Hoc videlicet eodem nomine *PROGNOSIN* quoque, utpote quæ præter *attentionem singularem*, à reliquis *malignis* nihil diversum involvit, speciatim huc adducere, brevitati, sufficienti tamen, intenti, supersedimus, ex notitiâ *Febrium malignarum & Exanthematicarum* eandem supponentes petendam.

Summariter in hunc ordinem redigi possunt potiora *Diætetica* pro hoc morbo præcepta. (1.) *Cibos* tenues, nullas *carnes* assumat; in *statu* verò & sub *eruptionis* tempus, neque fastidiosos neque fastiditos cibos cogatur recipere, ne *Vomitus* superveniat. *Potum* sufficienti quantitate nemo neget, ad 6. quin amplius usque libras Nycthimeri spatio; Summo tamen studio à *frigido* prohibeatur. Ita *Aer* etiam temperatus esto, non *frigidus*, nec tamen nimis *æstuans*, ne *anxietates* incurrat: *Liber* non adspiret. *Somnus* procuretur *Epithematis* frigidiusculis, citrà *interna*; *Nimius*, vel superveniens

niens his, vel Spontaneus matrè à Medico tractetur. *Quies* quantum possibile servetur, ne jectigationet nimiæ atterant vires, eventilent & refrigerent corpus. *Animi pathemata tristia & sollicita* evitentur, quamvis mala consuetudo in re præsenti vix corrigatur. *Excernenda* ordinariâ facilitate succedentia, non negligenter tractentur, ne ex neglectâ depositione, præter morbi vim adstringatur alvus, & intempestivè irritent naturæ impetum majorem retentæ fæces: *Adstricta Clysteribus*, sed blandis, & leviter humectantibus, juvetur, nequaquam verò valdè irritetur. *Sudor* nimius in incremento morbi vitetur, *Mador* tamen corporis, quantum potest, servetur; Si, etiam assuetis aliàs ab exhibitis *sudorife-ris*, tempore *Expulsionis*, nullus profluat *Frictiones* minimè negligantur.

Pro *prognosi* principaliora ita complecti possumus. *Pulsus* quantumcunque *fortis & constans*, bonus; *Debilis & constans* citra alia gravia Symptomata, in medio positus; *cum his*, malus. *Lypothimiæ frequentes* præsertim ab ipso usque principio, malæ. *Respiratio* difficilis, citra plethoram, mala. *Appetitus* in fastidium verum, cum nauseâ, versus, malum. *Sitis* in æstu magno nulla, malum. *Vomitus & Diarrhœa, Hæmorrhagiave* in principio morbi, *nisi nimia*, mediocria: Si *nimia*, aut in *statu*, & tempore ad *Eccresin* properante, mala. *Vires* nimium dejectæ, & quicquid illas ulterius atterit, malum. In morbo & Symptomatis gravibus *pauca* Exanthemata, malum. Exanthemata cito *disparentia*, malum: Si his *alvi fluxus*, *Colicæ*, *Singultus*, supervenerint, pessimum, &, si tetri coloris ejiciantur sordes, ferè semper lethale. *Convulsiones & Deliria in principio* morbi, periculosum; in *statu* pessimum; à *retrocessione*, Mors. *Urina* semper aliquantum *cocta*, citam Eccrisin; Diu *cruda*, cum energiâ morbi, seram; Diu. *Sana*, summum periculum signat. *Bonus animus*, bonum medicamentum; Jacens, Calamitatem juvat. Post medicamenta *alteratio* sensilis, bonum, nulla malum.

Defungimur itaque Labore nostro, DEO omnipotenti, ut sub introitum, ita sub exitum, gratias vota, gloriam, nuncupantes, concinentes.

Ex Autoribus Practicis hanc in rem legi possunt sequentes.

Hieronym. Fracastorius de morb. Contag. l. 2. c. 6.
Petrus Forestus Obs. Med. l. 6. Obs. 35. & seqq.
Joh. Lang. Epist. l. 2. epist. 15.
Joh. Thom. Minodous de hum. Corp. turpitud. & l. 1. de Febr. mall.
Hor. Augenius Epist. & Consult. l. 2. Ep. 1.
Balth. Brunnerus Consil. 42.
Philipp. Hœchstetterus Decad. 1. Casu 4. 5.
Guilelm. Ballonius Consil. Med. t. 1. Cons. 37.
Zacut. Lusit. Prax. Adm. obs. 13.
Lodovic. Keplerus de Febb. Epidem. Regiomontanis 1649. p. 19. 21. 30. 31. 35. 36.
Phil. Salmuthus obs. Med. C. 2. n. 65.
Joh. Daniel Horstius Decad. 1. Ep. 10.
Joh. Rhodius Obs. Medicin. C. 1. Obs. 19.
Timæus à Guldenklee, l. 8. c. 5. & 24.
Riverius l. 17. c. 1.
Senn. Instit. l. 1. Sect. 1. c. 17. an in eruptione Exanthematum conferat. V. S. & For. l. 6. obs. 29 Amatus C. 2. Cur. 16.
Rolfinc. O. & M. Comm. l. 4. Conf. 12.
Vesicantium in Exanthematis maligni, usus. Val. Martini Enchir. de Febb. p. 168.
Sim. Paul. Digress. de Febb. p. 18. 64.
Quid de Sanguine, in febribus continuis passim grassantibus, emittendo sit statuendum? Thonerus l. 1. Obs. 33.
De febre continuâ cum puncticulis & maculis Ballon. Epidem. p. 232.
De Febre maligna purpurata Epidemica, cum convulsione, tremore aliisque pravis Symptomatibus, curata. Borell. C. 1. obs. 55
De Febre purpurata River. C. 1. obs. 21.
De Febre purpurata juris repercussa, (ex inconsiderata aëris nudi admissione) Forest. l. 6. obs. 59.
De Vini usu in Exanthematis Forest. l. 6. obs. 47. in Schol. Augen. t. 2. Epist. 8.
Vinum in Petechiali febre salutare Barthol. C. 6. hist. 7.

 